

Theophyl. seipso loqui. Et doctrinam suam à Patre esse acceptam, & non inuentum humanum. Quod sic probat hoc Syllogismo, vt ait Euthymius. *Quia à semetipso loquitur. Idest vt explicat Theophyl. Qui vult propriam statuere doctrinam. Quique est auctor, & inuentor suæ doctrinæ. Gloriam propriam querit. Idest, suæ inuentionis, ac ingenij appetit gloriam, & laudem, ob idque vult ab omnibus magnificari; nam vt ait Caiet. Gloria præcipuum appetibile ex doctrina. Hinc discipuli Platonis, Aristotelis, Pythagoræ, vt magistros suos celebrarent, ab eorum nomine sunt vocati. Qui autem querit gloriam eius, qui misit eum. Posita maiore syllogismi propositione, hanc minorem ponit Iesus, & simul subinfert consequentiam; Ego non quero gloriam meam, sed gloriam eius, qui misit me, ergo à me ipso non loquor, sed verax sum, & iniustitia non est me. Et cum Christus loquatur in re virtutis, modestiæ causa loquitur de se per tertiam personam. *Hic verax est in docendo.* Deus enim non glorificatur mendaciis. *Et iniustitia in eo non est.* Syriacus *In corde eius, scilicet fraus, dolus, & deceptio nulla est in eo, quia sincere, & simpliciter docet ea, quæ Deo sunt placita.* D. Cyrill. lib. 4. in Ioan. cap. 45. ait: *Qui gloriam Dei non querit, sed suam, is mendax simul, & iniustissimus est. Mendax quidem, quia simulatione legis seruandæ, suam voluntatem audiri proponit: iniustissimus vero quia legislatoris dignitate neglecta, dominicis præceptis sua præferre audeat.* D. August. tract. 29. in Ioan. Propositionem: *Qui gloriam querit, de Antichristo interpretatur, qui à semetipso loquitur, sed de omni seductore impio est explicanda. Ex quo punguntur prædicatores ac doctores, qui non gloriam Dei, sed suam querunt.**

67. *Nome Moyses dedit vobis legem?* Proponit illis legem promulgatam à Moyse, in quo Patris voluntas erat contenta. *Et nemo ex vobis facit legem.* Idest nullus ex vobis, sed omnes legem violatis. D. Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 46. *Non unum, aut alterum, sed totum Iudeorum genus, Moysaïcam legem parui facere offendit.* Ex quo nota; quod quando Christus loquitur de obseruatione legis ponit, nomen singulare, vers. 17. *Si quis noluerit voluntatem.* Quando verò de violatore propositionem vniuersalem apponit. *Nemo ex vobis facit legem.* Iustus rarus, & singularis; iniqui, ac peruersi multi. Nota, quod ait, *facit legem*, quia lex adimplendo fit; parum prodest lex in codice, si non est in corde, ac opere. *Quid me vultis interficere?* Opportunitatem captatis ad me occidendum. Ad Phariseos, ac principes eorum Christus dirigebat sermonem, & tamen loquitur generaliter, & in communi, ne specialiter nominati peiores, ac deteriores fiant, vt in simili ait D. Gregor. lib. 13. moral. cap. 3. *De solo illo argui non potest, ne deterior fiat, tamen cum generaliter contra culpam inuectio intenditur, correptionis verbum libenter ad mentem ducitur, quia potens prauus ignorat, quod sibi hoc specialiter dicitur.* De connexionione huius textus cum superioribus, in quo est tota difficultas, dicam infra quæst. 9.

68. *Respondit turba.* Non omnis omnino, quidam enim dicebant: *Bonus est,* supra vers. 12. sed ea turba, quæ erat ex colligatione, & factione Pharisæorum, & quia hæc erat maior pars, ideo absolute dicitur turba. *Denoniam habet.* Hæc ingens blasphemia familiaris erat turbæ, ac pessimis hominibus. Vt infra Ioan. 8. num. 41. Matth. 11. num. 18. & sepe alibi. *Quis te querit interficere?* D. Cyrillus

Theophyl. Caietan. In Doctore gloria appetibile. Syriacus. Cyrill. August. Punguntur prædicatores applausum querentes. 67. Cyrillus. Iustus vnus, iniqui multi. Gregor. Contra magister reprehensio in communi ne peiores fiant. 68. Ioan. 9. Matth. 11. Cyrillus.

lib. 4. in Ioan. cap. 43. *Senserunt, ait, illata manifeste crimina, quinque ad negationem refugiant, summopere student, ne mandata legis prætere videantur.* Iniqui cum se vident conuictos, ad negationem confugiant. Postea subdit D. Cyrillus. *Malignitatis hæc negatio fuit, quum quasi mendacem eum appellent, iniquitatem iniquitati, vt scribitur, adiiciunt.* Ecclesiast. 5. num. 5.

QUESTIO VIII.

Quare Christus ait, quod si quis voluerit facere voluntatem Patris, cognoscat, ac percipiet doctrinam suam?

69. Tertullian. **I**N limine quæstionis expendendum est id, quod ait Christus Dominus. *Si quis voluerit, voluntario smilites querit.* Nam vt ait Tertullian. in Apoget. 24. *Nemo ab inuito coli vellet, ne homo quidem, &c. Cuius rationem assignat Seneca epistol. 67. Honestum non est, ait, quod ab inuito fit; admisce illi pigritiam, tergiversationem, metum: quod habet in se optimum, perdit.* Vnde Victor Antioch. in persona Christi ad suos milites sic loquitur, cap. 8. Marc. *Nec quemquam huc compello, sed amice tantum inuito.* Vide supra cap. 7. n. 18. & 19.

70. Chrysof. Ad quæstionem respondet primò Chrysofom. homil. 48. in Ioan. *Qui facit voluntatem Patris, cognoscat de doctrina. Hoc est, si quis sit amator virtutis meorum verborum vim intelligat.* Ad Christi doctrinam percipiendam acuit mens, non studio, sed virtute; nam, vt ait Euthymius. *Virtus purgat mentem.* Ex quo admonet D. Augustinus tract. 29. in Ioan. præsentem textum explanans. *Si non intellexisti, crede. Intellectus enim merces est fidei. Ergo noli querere intelligere, vt credas; sed crede, vt intelligas, quoniam nisi credideritis, non intelligetis.*

71. Theophyl. **S**ecundò Theophylactus. *Si quis virtutem amplexatus fuerit, & inuidia non seruerit, neque odio contra me obtenebratus fuerit, sciet meorum sermonum virtutem; cum ea, quæ Patris sunt, loquar. Voluntatem autem Dei facit, qui & Scripturas, & Prophetas scrutatur.* Igitur, qui talis est, poterit scire de doctrina Domini, quod ex Deo sit. Vt quis intelligat Dei sermonem, oportet vt deponat odium, inuidiam, ac malevolentiam, que mentem excæcant, & obtenebrant. *Postquam percussit Sehon regem Amorrhæorum, Og regem Basan, capit Moyses explanare legem Domini.* Deuter. 1. num. 4. Septuaginta. *Declarare.* Et cur non antea nisi expugnatis his duobus regibus? Glossa. *Notandum, ait; quod interfecit duobus Amorrhæorum regibus, lex recapitulatur, & populus instruitur, qua remotis scandalis, ac superatis vitiorum turmis competenter doctrina instruitur, & fidei lumen digne desiderantibus aperitur. Debemus prius in nobis vitia occidere, & sic mandata diuina populis tradere.*

72. Caietan. **T**ertidò Caietanus. *Sicut bona dispositio gustus, ait, dat gustui discernere differentias saporum: sic bona dispositio voluntatis, si verè est bona dat intellectui discernere doctrinam ex Deo à doctrina, que non est ex Deo.* Recta, & pura conscientia ministrat intelligentiam diuinorum, & dat discernere ea, quæ sunt Dei, ab illis, quæ non sunt Dei, scientia enim mandatorum Dei creuit, & perficitur ex puritate conscientie, sine qua nulla celestium cognitio communiatur.

Ecclesiast. 5. num. 5. 69. Tertullian. Seneca. Ab inuito nihil fit bonum Victor. 70. Chrysof. Virtus acuitur intellectus. Euthym. August. 71. Theophyl. Extinguitur vitia, vt diuinam doctrinam intelligas. Deuter. 1. Glossa. 72. Caietan. Puritas conscientia dat scientiam mandatorum Dei. De

QUESTIO IX.

Quomodo id, quod dicitur: Nemo ex vobis facit legem, connectatur cum antecedentibus?

75. **I**TEM Christus Dominus vers. 18. quòd cum ipse in doctrina tradenda non querat gloriam suam, sed Patris, qui misit eum, inde aperte conuincitur, quòd in sua doctrina sit verax, & nulla in eo inueniatur iniustitia. Tunc vers. 19. subdit. *Nemo Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem, quid me queritis interficere?* Quomodo hoc cum superiori doctrina coherat, tora est huius rei difficultas. Probabiliores dicendi modos apponam, & tandem meum iudicium proferam.

76. August. Beda. Glossa. **P**rimò D. August. tract. 30. in Ioan. Beda, Glossa ordinaria, & alij sic interpretantur: Ac si dicat Christus: *Quid mirum si vos, meam, & Patris mei legem, ac doctrinam non recipitis, cum Moyse, qui vobis est in magna veneratione, legem nõ seruetis, siquidem me in ea contentum non videtis, & insuper me innocentem vultis interficere, quod lex vetat.* Exod. 23. n. 7. D. Aug. *Si legem facerent, ait, in ea Christum cognoscerent, & præsentem non occiderent.*

77. Chrysof. Cyrillus. Euthym. Theophyl. D. Thomas. Bonau. Caietan. **S**ecundò D. Chrysofomus homil. 48. in Ioan. D. Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 46. Euthym. Theophyl. D. Thomas. Bonau. Caietan. *Violatores legis zeli specia alios arguunt.* Anima sancta maximè delectata, ac admirata pulchritudine sui sponsi, ad quem intuentum conuocauerat filias Hierusalæ, ait: *Egredimini, & videte filia Sion regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius.* Cantic. 3. num. 11. Sponsus verè vicissim immediate respondet laudans elegantiam sponsæ, perspicaciamque oculorum eius. *Intuitum illius, qui tot, & tanta in ipso penetrauerat. Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es; oculi tui columbarum.* Cantic. 4. num. 1. *Quid est, quod sponsum pulchritudinem suæ dilectæ commendans oculos columbinos in ea celebrat, si laudat eius perspicaciam, qua tot in eo creuerant; cur cum aquila non comparat, cuius acutissimus obtutus fixa acie stat contemplandum solem? merito sanè eius oculos non confert aquilæ, sed columbæ, quia ad ipsum contemplandum, eiusque myteria suæ dispensationis, coronationis, ac lætitiæ cordis non praualebat aquilæ acuties, sed potius columbæ simplicitas, id est puritas, ac rectitudo sanæ, & bonæ conscientie.* D. Gregorius Nissenus hom. 4. *Quoniam ergo, ait, qui amplius non aspiciat ad carnem, & sanguinem, ad vitam aspiciat spirituales, sicut dicit Apostolus spiritu ambulans, & corporis affectiones spiritu mortificans, totus affectus spiritualis, non animalis, neque carnalis, hac de causa fertur testimonium de anima liberata à corporali affectione, quod habeat speciem columbæ in oculis, hoc est quod character vite spiritualis illustratur percipiente animi facultate.* * * *

78. Alb. Maguus. Tolet. **T**ertidò Albertus Magnus, & Toletus. Christus Dominus dixerat antecedenti versu. *Hic est verax, & iniustitia in eo non est, se nempe esse veracem, iustum, & innocentem, tunc immediate subdit. Nemo ex vobis facit legem.* Nullus ex vobis feruat legem, sed omnes estis illi contrarij, cum mihi innocenti mortem queratis, ac machinemini.

79. Propria sententia. **Q**uartò Sic meo iudicio connectendum est. Dixerat Christus vers. 17. *Quod si quis voluerit voluntatem eius, scilicet Patris, facere, cognoscat, quod Christi doctrina non sit à se ipso, sed à Patre* vers. 28. ait. *Qui à se ipso loquitur, propriam gloriam querit.* Demonstratque ibi, quòd à se ipso non loquatur, cum propriam suam gloriam non intendat; nunc verò vers. 19. ait; *Nemo ex vobis facit legem, indèque demonstrat; quomodo ipsi sint inepti, & incapaces ad eius verba cognoscenda, cum ipsi non faciant voluntatem Patris sui contentam in lege, sed potius illi sint contrarij cum ipsum purum, & innocentem velint interficere, quod lex ipsa prohibet.* Exod. 23. num. 7.

80. Beda. **Q**ui legem Dei non obseruat, omninò ineptus, vt legem intelligat & penetret; vera enim legis speculatio illius obseruatio. Vnde rectè ait D. Bernardus serm. 85. in Cantic. *Si quis sapientiam, virtutis amorem desinierit, non à verò deuiare amor.* Y 2 videbitur.

73. Cantic. 4. Origenes. Theodoret. Gregor. Aponius. Chaldaus. Charitas ministrat intelligentiam legi. Philo Carp. 74. Cantic. 3. Cantic. 4. Nysen. 79. Exod. 23. Exod. 23. num. 7. 80.

75. 76. 77. 78. 79. 80.

Rom. 1. videbitur. Vnde ait Apostolus Roman. 1. num. 21. *Cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt.* Chaldaeus vertit. *Non fuerunt cognoscentes ad timendum ante Dominum.* Cum cognouissent Deum tamen cum timore, ipsum non essent colentes, reputantur tanquam illius ignorantes. D. Bernardus serm. 23. in Cantic. *Nec cognitio, ait, sapientem, sed timor facit, qui & afficit. Quis illos sapientes, nisi insipientissimus dicat, qui cum cognouissent Deum, non tanquam Deum glorificauerunt? Hinc filij Heli dicuntur, filij Belial, nescientes Dominum.* 1. Regum 1. Regum 2. num. 12. quod explicans Origenes homil. 1. in Iudices, ait, *Dictum est de filiis Heli, qui erant filij pestilentie, nescientes Dominum, non quod ignorarent Dominum, qui vtiq; & Doctores erant ceterorum, sed quia sic agebant vt agunt illi, qui nesciunt Dominum.*

Ioan. 7. n. 21. Respondit Iesus, & dixit eis: vnum opus feci, & omnes miramini. Num. 22. Propterea Moyses dedit vobis circuncisionem, non quia ex Moyse est, sed ex patribus, & in sabbato circunciditis hominem. Num. 23. Si circuncisionem accepit homo in sabbato, vt non soluat lex Moyse: mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato? Num. 24. Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate.

VERSIONES.

Græcus n. 22. Propter hoc Moyses. Syriacus n. 23. Ob idque non soluitur lex Moyse, de me murmurationis, qui totum hominem sanauerim in die sabbati. Syriacus n. 24. Ne iudicetis per acceptionem vultus. Vatablus. Ne iudicetis secundum aspectum. Arias. Ne iudicetis secundum speciem.

EXPOSITIO VII.

81. **R**ESPONDIT Iesus. Non ad conuictum, quod protulerat, *demonium habes*; sed illud Magnus Dominus dissimulat, patienter, ac prudenter sustinet, & conuictum conuictio non reppellit, sed efficaci ratione subiecta, qua & conuicti radicem amputat. D. August. tract. 30. *Plane non turbatus, ait, sed in tua veritate tranquillus, non reddit malum pro malo, nec maledictum pro maledicto: quibus si diceret, demonium*

August.

habetis vos, verum vtiq; diceret: non enim talia illi dicerent veritati, nisi eos falsitas diaboli irritaret. Respondit Iesus, & dixit eis. Non ad turbam, quæ fuerat locuta, sed ad Phariseos ac Principes Iudæorum dirigit sermonem, ex quorum seductione, ac concilio blasphemia prodierat; *Vnum opus feci.* Albertus Magnus, de vniuersis Domini operibus, ac miraculis sententiam interpretatur, ac si præ amore vniuersa sua opera, quæ si scriberentur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse, eos, qui scribendi sunt, libros. Ioan. 21. numer. 25. vnum tantum opus reputaret. A prius tamen dicendum cum D. Augustino, Cyrillo, ac cæteris Patribus, per hoc opus intelligere curationem Paralytici in sabbato. Ioan. 5. numer. 9. sicque prosequitur Christus suum sermonem, quem inceperat supra vers. 19. eumque magis explanat, causam odij aperiens, & reuelans. *Et omnes miramini.* Hoc est mirantes indignamini cum turbatione, ac tumultu. D. Chrysostr. *Miramini, hoc est perturbamini.* Theophylactus, Euthymius. *Miramini, siue turbamini, aut tumultuamini.* Et quamuis verbum miramini hanc hic habeat significationem, illo tamen, modestiæ causa, vtiq; Christus, ne duriori inimici exanderent, & deteriores fierent.

Propterea Moyses. Græcè, *Propter hoc.* Quæ particula est obscura, & difficile reddit locum. Primò Euthymius existimat particulam *Propterea*, quod non sit causæ redditua, sed superflue hebraico modo ponitur; quod nullo modo est dicendum. Nam in sacro textu nil sperabundat. Secundò, Theophylact. Maldonatus. Cum antecedentibus connectunt, scilicet, *Vnum opus feci, & omnes miramini propter hoc,* scilicet sanitatem hominis in sabbato. Sed dispendio repugnat codici Græco, ac nostræ Bibliæ correctæ, & ideo ad sequentia referendum. Tertio D. Thomas, Carthusianus, Iansenius dicunt. *Propterea*, non esse causale, sed illatiuum, & idem valere, ac *itaque*; Non mitemini, quod hominem sanauerim in sabbato, nam ex lege circuncisio fit in sabbato. Quarto D. Cyrillus, Lyranus, Toletus, Barradas, Lucas Burgenis, *Propterea* referunt ad id, quod subditur *ex patribus.* Et sic ordinant seriem verborum. Moyses dedit vobis circuncisionem, non propterea quia sit ex Moyse, sed quia ex patribus, voluit enim Moyses præcepta, ac traditiones Patrum studiose obseruare. Quintò, quod mihi est probabilius Hugo, Caietanus, Cornelius. Dixit Christus, quia opus curationis hominis fecerim, omnes admiramini: tunc subdit. *Propterea, seu propter hoc.* Hoc vobis pono argumentum, vt non admitemini, nec indignemini contra me, quia vos hominem circunciditis in sabbato.

Non quia ex Moyse est, sed ex Patribus. Initium circuncisionis non fuit in Moyse; sed Abrahamus eam accepit à Deo. Gen. 17. Qui & filijs suis Isaac, ac Iacob tradit, & inde ad cæteros descendentes præuenit, quæ lex mandabat. Octauo die circuncidetur infantulus, Gen. 17. n. 10. Leuit. 12. n. 3. Hincque fiebat, quod si octauus dies à natiuitate esset sabbatum, in illo multo apparatu circuncidebatur infans, vt obseruaretur lex Dei Abrahamo data. Et quamuis Moyses hoc expresse non mandauerit, tamen ad hoc eos recta ratio mouebat, quia cum vtrumque mandatum à Deo per Patres, & Moysen emanasset vnum, alteri non præiudicabat, nec opus vnius mandati prohibebatur altero.

Alb. Magnus

Ioan. 21. August. Cyrillus.

Ioan. 8.

Chrysostr. Theoph. Euthym.

82. Græcus. Euthymius.

Theophyl. Maldonat.

D. Thom. Carthuf. Iansen. Cyrill. Lyranus. Tolet. Barrad. Lucas. Hugo. Caietan. Cornelius.

83. Genes. 17. Leuit. 12.

Si

84. *Si circuncisionem*, quod est quoddam opus ex genere suo feruile, ac molestum. Sub nomine circuncisionis intelligit illa omnia, quæ in ipsa erant coniuncta, vt vulneris inflictio, & illius viratio. *Accepit homo in sabbato.* Quoties est illi octauus dies à natiuitate sua; *Vt non soluat lex Moyse.* Et idem valet, ac *itaque.* Vt Ioan. 5. num. 20. & 2. Corinth. 1. num. 17. Et satis aperte ponit Syriacus. *Ob idque.* Non violatur lex Moyse de obseruatione sabbati. *Mihi indignamini quia totum hominem;* D. Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 50. Euthymius. *Totum hominem dixit Christus,* ait, *nam cum totius eius corpus paralyti dissolutum fuisset, totum reddidit sanum.* D. Augustinus tractat. 31. Euthymius, D. Thomas, Caietanus, & alij totum hominem, quia non solum curauit Dominus eius corpus, sed etiam animam; nam vt ait D. Thomas 3. part. q. 44. art. 3. Dei opera sunt perfecta. *Non conueriebat,* ait, *Christo, vt alicuius corpus curaret, nisi eius curaret animam.* Sequitur textus. *Sanum feci in sabbato.* Non enim minus diuinum est hoc meum opus, ac illud circuncisionis, quæ fiebat ex Dei præcepto, hoc autem meum opus sanationis fit ex influ, ac virtute Dei, in momento ipso Deo supra naturam operante; in circuncisione autem multa feruilia opera interueniebant, gladiolo vulneris inflictio, præputij abscissio, medicamenti applicatio. Ergo ac si dicat Christus, si vobis licet à Iudæi in sabbato hominem circuncidere in vna parte corporis, & ibi medicamentum imponere, cur irascimini contra me, quod totum hominem in sabbato sanauerim vno verbo? Præcipue enim hoc opus curationis fit ex beneficentia & pietate, qua est ex iure natura, cui omne positium ius sabbati cedere debet.

Ioan. 5. 2. Corinth. 1. Syriacus. Cyrill. Euthym. D. Thom. August.

85. *Nolite iudicare secundum faciem.* Alij legunt, *secundum aspectum,* seu *speciem.* Syriacus: *per acceptionem vultus.* Quod de Christo prænuntiavit Isaias 11. num. 3. *Non secundum visionem oculorum iudicabit.* Ait Christus. *Nolite iudicare secundum faciem,* id est nolite in iudicando habere respectum facierum, seu personarum, nolite habere acceptionem personarum; nam circuncisionem in sabbato, quam multo prolixo apparatu, ac emplastris facitis vos, & principes vestri, ac Pharisei, ex amore, ac reuerentia erga eos approbatis; sanationem autem hominis in sabbato, quæ solo vno verbo edigi, ex odio, ac contemptu, quo me vilem iudicatis, vt ait Chrysostr. reprobatis, ac condemnatis. D. Augustinus, D. Cyrillus, Euthymius, Theophylactus existimant, se Christum conferre cum Moyse; verisimilius tamen mihi est Christum in præsentia, non Moyse, sed Iudæis se comparare; nunquam enim Moyses expresse mandauit hominem in sabbato circuncidi, sed Magistri Iudæorum, ex eo quod lex disponebat, vt infantulus octauo die circuncideretur, inde inferebant, quod si dies octauus esset sabbatum, quod in illo esset puer circuncidendus. *Sed rectum iudicium indicat.* Non personarum acceptione, sed secundum merita, & naturam rei, vos manu, & opere circunciditis in sabbato, ego autem verbo curavi in sabbato.

Chrysostr. August. Cyrill. Euthym. Theophyl.

Ioan. 7. n. 25. Dicebant ergo quidam ex Ierofolymis: Nonne hic est, quem quæruunt interficere?

Sylueira in Euang. Tom. IV.

Nym. 26. Ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt. Numquid verè cognouerunt Principes, quia hic est Christus. Nym. 27. Sed hunc scimus vnde sit: Christus autem cum venerit, nemo scit vnde sit.

VERSIONES.

D. Chrysostr. Quidam ex Ierofolymitanis. homil. 49. Euthym. Arabicus. Homines aliqui ex Hierusalem. Caietan. n. 26. Ecce liberè loquitur. Syriacus. Nunquid norunt seniores nostri? Syriacus n. 27. Nemo cogniturus est vnde sit.

EXPOSITIO VIII.

DICEBANT quidam. Audito efficaci argumento, quo Christus se defendebat, arguebatque eos, qui ipsam iniuste ad mortem quærebant, *Quidam ex Hierusalem;* seu ciues Ierofolymitani, qui hoc dicebant, erant ex Ierofolymis, quia, vt notant Albertus Magnus, & Leontius; hi bene nouerant suorum Principum concilia. Deinde Euangelista aduertit hos fuisse ex Hierusalem, vt inquit Chrysostr. Theophylactus, D. Bonauentura, vt notetur eorum miserima conditio, quia cum ibi frequenter audissent Christum in templo prædicantem, multaque miracula operantem ibi vidissent, tamen adhuc erant creduli dubitantes in fide num. 26. infra. *Quem quæruunt interficere.* D. Augustinus tract. 31. *Hi nouerant,* ait, *quæsentia Iesus quærebat.* Et loquuntur per tertiam personam, vt ait Caietanus, quia quamuis hi essent increduli, tamen non erant de numero eorum; qui Iesum quærebant interficere. Hi autem Iudæi dum dicunt, *quem quærebant interficere,* mendaces arguunt eos, qui supra num. 10. dixerunt. *Quis te quærit interficere.*

86.

Alb. Magn. Leontius.

Chrysostr. Theophyl. Bonauent.

August. Caietan.

Iudæi semetipsum mendaces ostendunt.

87.

Iudæi in Christi præsentia tacent, in absentia multa dicunt.

Syriacus.

Chrysostr.

Y 3 Theoph